

illam efficaciam in auxilio prædeterminante : nam illud ejusdem modi esset in omnibus. Antecedens patet ex dicta q. 2 ad Simplician., ibi : *Si tanta potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat, et ibi : Quis potest credere, nisi aliqua vocatione tangatur?* et statim : *Quis habet in potestate tali viso tangi?* Quia nimirum hic tactus potest esse multiplex. Item de Spirit. et litter., cap. 34 : *His modis agit Deus, ut velimus.* Expressius lib. 3 de Liber. arbitr., c. 18, et lib. de Natura et Grat., cap. 67 : *Cum ubique sit præsens (ait) qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem doceat credentem;* et lib. 1 contr. duas epist. Pelagian., cap. 19 : *Quis trahitur, si jam volebat? et tamen nemo venit nisi velit; trahetur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in cordibus hominum operari.* Et eandem doctrinam habet lib. 2 de Peccator. merit., cap. 5. Item lib. de Corrept. et Grat., cap. 5 : *Quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis atque innumerabilibus modis vocantur, ut reformentur? absit ut dicamus, etc.;* et lib. 4 Confession. : *Converte nos (dicit ad Deum) miris modis.* Et lib. 5, cap. 7, Deo dicit : *Egisti mecum miris et occultissimis modis; tu illud egisti, Deus, nam a Domino gressus hominis dirigitur, et viam ejus volet,* quibus verbis efficaciam gratiæ per moralem directionem declarat, et miris et occultissimis modis a Deo fieri profitetur, quod in cap. 8 eleganter prosequitur, et lib. 7, cap. ult.

15. Sed instant, quia potius dicens Augustinus *miris modis*, indicat altioremodum movendi, quam moralem, nam moralis motio non est tam admirabilis. Sed hoc non enervat testimonium; fatemur enim, si Deus prædeterminaret physice voluntatem, futuram esse motionem satis mirabilem; sed, præterquam quod esset necessitans, esset una singularis, et ita non posset in ea verificari illud, *multis et mirabilibus modis.* Unde falsum est, et aperte contra mentem Augustini, dicere, in morali modo trahendi voluntatem, non posse Deum operari multis et mirabilibus modis; nam ad persuadendos et trahendos homines, multa et mirabilia operatus est, et interius in cordibus hominum quotidie operatur, *habens inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem*, ut idem Augustinus dixit, de Corrept. et Grat., cap. 14. Et hic sensus evidentissime convincitur a fortiori, ex eo quod, l. 5 contra Julian., c. 4, in cordibus impiorum dicit facere Deum miris ac ineffabilibus modis, etiam

tunc quando perverse agunt, et obdurantur, quamvis non simili intentione nec voluntate tunc Deus operetur, et ideo certum sit tunc non operari prædeterminando, sed ea operando quæ de se bona sunt, sciens homines ex malitia sua illis bonis esse prave usuros.

16. Ponderatur quod supra notatum, non ponere Augustinum efficaciam auxilii gratiæ in modo agendi. — Unde potest quinto ponderari id quod jam in superioribus notavimus, non ponere Augustinum efficaciam auxilii gratiæ in modo agendi Dei, bonis et malis actibus communi, ne inde sequatur ita posse Deo tribui actus non bonos, sicut actus pietatis et gratiæ, ut contra Pelagianos arguit, lib. de Grat. et lib. arbitr., c. 17, et 27, et l. de Peccat. merit., cap. 18, et docet lib. de Spirit. et litter., cap. 33 et 34. Inde ergo recte colligimus Augustinum non posuisse auxilium efficax in efficacia prævi concursus de se generalis omnibus operibus voluntatis, ut actiones positivæ sunt, cujuscumque ordinis existant, quoniam alias æque Deus faceret, ut homo vellet infima et suprema, mala et bona, quod est contra excellentiam gratiæ, et alienum a divina voluntate, ut in lib. 3 late argumentati sumus.

17. Ponitur argumentum, non operari Deum per gratiam efficacem in voluntate hominis, modo communi animantibus brutis et rebus insensibilibus. — Sextum et simile argumentum ex eo sumitur, quod Augustinus sæpe etiam repetit, non operari Deum per gratiam efficacem in voluntate hominis, modo communi animantibus brutis et rebus insensibilibus. Sic enim dicto l. 2 de Peccat. merit., c. 5, cum dixisset petendam esse a Deo gratiam, adjungit : *Nec tamen de hac re solis votis agendum est, ut non subinferatur admitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim noster dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur, et rationem subdit : Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Modus autem ille efficaciter applicandi potentiam per auxilium efficax, communis dicitur esse omnibus agentibus naturalibus, brutis, et insensibilibus. Et certe si tale auxilium necessarium est, et solum sufficit voluntatem inflectere ut velit, solis votis agendum est, ut tale auxilium detur; imo nec vota adhiberi potuerunt, nisi ad illa facienda prius aliquid tale auxilium detur. Neque ab homine

postulare oportebit ut suæ voluntatis efficaciam adjungat, quoniam nisi ita in illo operetur Deus, non potest illam adhibere; si vero ita Deus operetur in homine, non poterit illam non adjungere; et ita non aliter applicabitur voluntas ejus a Deo, quam applicetur appetitus bruti, quantum est ex parte hujus determinationis. Est ergo hoc valde alienum ab Augustini mente et doctrina.

18. Additur quod, ubique Augustinus loquitur de hac prævia gratia seu voluntatis præparatione, locum libertati voluntatis reservat. — Unde septimam considerationem addimus, quia ubique Augustinus loquitur de hac prævia gratia, quam præparationem voluntatis appellat, suum locum libertati voluntatis reservat, sentitque semper posse resistere et contemnere voluntatem, ideoque illi imputari inefficaciam vocationis, quæ omnia non stant cum prædeterminatione, ut supra ostendimus. Assumptum probatur, primo ex generali doctrina Augustini, quoties voluntas cedit alicui moventi illam, quia non potest illi resistere, non illi imputari ad culpam, vel ad præmium. Ita habet lib. 3 de Liber. arbitr., cap. 18, quod recognoscit et confirmat lib. de Natur. et grat. cap. 6 : *Quæcumque, ait, ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Quod ideo verum est, quia tunc voluntas sine libertate consentit, nulla enim alia causa potest ita illam excusare a culpa, si alias actio de se peccaminosa sit; igitur perinde fuit dicere : *Sine peccato ei ceditur*, ac dicere : *Sine libertate ei ceditur*, id est, causa inducens hominem ad volendum, vel faciens eum velle, si ei resisti non potest, sine libertate ei ceditur. Unde infra iterum interrogat : *Potest ergo ei causæ, quæcumque illa sit, resisti?* Et respondet : *Potest plane.* Ut autem dixi, licet id tradatur de potestate resistendi tentationi, tamen ratio, in qua fundatur, in motione ad bonum locum habet. Nam sicut tentationi sine culpa ceditur, si ei non possit resisti aliquo modo, saltem per gratiam, ita motioni ad bonum sine laude ceditur, ac proinde sine libertate, si ei resisti non possit. At vero qui cedit vocationi Dei, est dignus laude, ut fides docet, et Augustinus passim; ergo talis motio ita est causa voluntatis, id est, volitionis hominis, ut possit homo ei resistere.

19. Vocari hoc vel illo modo solius Dei est, ex Augustino. — Et ideo frequenter repetit Augustinus vocare hoc vel illo modo esse solius Dei : *Venire autem semper esse in volun-*

tate, vel sola si non venit, vel adjuta si venit, ut dixit de Grat. Christi, cap. 14, et dicto c. 34 de Spirit. et litt. : *His modis, ait (scilicet, vocatione, et suasione), ipsum velle credere operatur Deus in ipso homine, consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, propriæ voluntatis est,* quæ verba faciunt sensum compositum, et includunt potestatem resistendi, et circa Concilium Tridentinum explicavi. Et ob eandem potestatem et libertatem dicit in quæst. 68 ex 83, licet homo, vocatus et veniens, non possit sibi tribuere quod vocatus sit, posse nihilominus sibi tribuere quod veniat, sibi, inquam, non soli, sed adjuto, ut in alio loco declaravit. Et in eodem sensu dixit tract. 4 in Joannem : *Eo quod adjungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum, castificas te, non de te, sed de illo qui venit, ut habitet in te. Tamen, quia agis ibi aliquid voluntate, ideo et aliquid tibi tributum est, ita ut dicas : Adjutor meus esto.* Denique in lib. de Ecclesiast. dogmat., cap. 21. Augustino attributo, sic habetur : *Manet ad querendam salutem arbitrii libertas, sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem vel eligat, vel sequatur, occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei.* Ubi aliqui *inspiratione* exponunt, id est, prædeterminatione, contra vim verbi, et contra omnem usum, et contra contextum, quia per illa verba *inspiratione Dei*, exponit illa *occasione salutis*, ut patet ex illa particula, *hoc est;* occasionem autem salutis appellat quod dixerat, *monente, et invitante Deo.* Inspiratio ergo nihil aliud est quam ipsa motio et invitatio, quæ per illuminationem et piam affectionem a Deo interior fit. Unde concludit ille auctor, seu Augustinus : *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* At certe acquiescere prædeterminationi non esset potestatis nostræ, sed necessitatis.

20. Confirmatur primo. — Confirmari potest antecedens, in principali ratione assumptum, quia Augustinus, locis supra citatis, dixit cum eadem vocatione hominem interdum velle, et alium non velle, vel eundem in diversis temporibus, ut ex Psal. 142 allegavi, et de Tyriis et Sidoniis, comparatione Judæorum, dixit de Don. persever., cap. 14, et supra tractatum est; ergo, ex sententia Augustini, illa vocatio ex natura sua non talis est, ut ei resisti non possit. Unde non solet explicare Augustinus efficaciam gratiæ aut vocationis per impotentiam resistendi, aut dissentendi, sed per certam effectus consecutionem, sicut

de Don. persev., c. 14, dixit media prædestinationis esse illa quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Et in lib. de Prædestinationat. Sanctor., c. 8., de hac gratia loquens, ait: *A nullo duro corde respuitur*, quia ex intentione Dei est ut non respuatur, ut subdit dicens: *Ideo enim tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur*; et ideo etiam tribuitur, sicut aptum est ei qui vocatur, seu sicut scit ei congruere, ut vocantem non respuat, sicut dixit quæst. 2. ad Simplician.; ergo ponit Augustinus efficaciam salva potestate resistendi: talis autem efficacia non potest esse prædestinationis, ut supra ostendi, etiam ex adversariorum confessione; est ergo congruentiæ præcognitæ a Deo, ut satis expresse in verbis proxime citatis Augustinus declaravit.

21. *Confirmatur secundo.* — Denique confirmari potest idem antecedens ex alio principio supra posito in doctrina Augustini, homini sufficienter vocato, et non consentienti, culpæ attribui, quod vocationem contemnat, eique resistat, ut expresse dicit de Esau, dicta quæst. 2 ad Simplician., et de Pharaone, dicta quæst. 68 ex 83, et universaliter ibi ait: *Qui noluerunt venire, non debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in libera eorum voluntate.* Idem habet 2 de Peccat. merit. et remiss., cap. 17, et in Enchiridio, capite 64, et de Natur. et grat., cap. 67. Hinc ergo colligimus vocationem sufficientem, quantum ex se est, esse efficacem, nisi homo ei resistat, ac proinde illi eidem auxilio, quod est efficax, quando ei non resistitur, posse resisti. Probatur hæc illatio, quia sic vocationi sufficienti resistere culpa est; ergo illa vocatio dat proximam potestatem efficiendi, ita ut possit reduci in actum sine alio prævio auxilio, si voluntas velit. Nam si alia motio esset necessaria, cum hæc non detur, nec sit in hominis potestate, non habet homo, per solam vocationem priorem, proximam potestatem consentiendi illi, ac subinde, homine non consentiente tali vocationi, non potest id ad culpam illi imputari, quia non habet in potestate sua consensum, et quod non est in potestate nostra, etiamsi non fiat a nobis, non imputatur nobis, ut proxime ex Augustino dicebamus. Et augeatur hæc ratio in eadem doctrina Augustini, quia auxilium efficax est necessarium ut det potestatem agendi et consentiendi, quia præparat voluntatem ut velit, ut patet per Augustinum, epist. 107, et aliis locis supra citatis; per illam autem præparationem datur

voluntati potestas pie operandi, teste eodem Augustino in lib. 1 Retractat., cap. 22, et lib. 2, cap. 1, et in Enchirid., cap. 32, et sermone 10 de Verb. Apostoli. Imo, lib. de Grat. et lib. arbit., cap. 16, dicit dare vires efficacissimas voluntati; ergo vocatio efficax dat potestatem agendi et consentiendi; ergo si non est in potestate hominis facere ut vocatio efficiens sit efficax, non potest illi tribui quod resistat.

22. *Sumitur octavo ex doctrina Augustini, quod neque Angelis, neque hominibus in statu innocentiae fuit necessaria prædeterminatio physica ad suam conversionem, vel ad resistendum tentationi.* — *Instantia.* — *Evertitur.* Octavam rationem sumo ex eo quod in doctrina Augustini, neque Angelis, neque hominibus in statu innocentiae, fuit necessaria prædeterminatio physica ad suam conversionem, vel ad resistendum tentationi; ergo per se non est necessaria ad actus supernaturales, neque ex vi prævii concursus Dei, neque propter actuum excellentiam, seu supernaturalitatem; ergo neque in statu naturæ corruptæ est necessaria illis titulis; neque etiam propter corruptionem naturæ; tum quia sicut tentationes et difficultates insurgentes ex hac naturæ corruptione, non physice, sed moraliter inducunt ad malum, ita contra illas efficax esse potest in eodem genere moralis inductio gratiæ illuminantis et inspirantis; tum etiam quia illa necessitas non posset esse ad singulos actus, juxta doctrinam in lib. 1 et 2 datam, quod etiam est contra rationem auxilii efficacis, ut ex dictis in principio hujus libri constat. Ergo si verum est illud principium, manifestum est non posuisse Augustinum prædeterminationem physicam, ut necessariam ad opera gratiæ, ac proinde non posuisse in illa efficaciam auxilii, seu vocationis. Principium autem illud seu antecedens probamus ex lib. de Corrept. et grat., c. 11 et 12, ubi Augustinus ait, Adamo in statu innocentiae datam esse gratiam, qua posset perseverare, vitando peccatum, non tamen esse datam gratiam, qua illud vitaret et perseveraret. Et idem dicit de Angelis. Dices hoc verum esse de Adamo, et de Angelis malis, quia illis non est data gratia efficax, non vero de Angelis bonis, quibus est data. Sed contra: nam de omnibus Angelis sentit Augustinus non esse illis datam gratiam de se efficacem; ait enim voluisse Deum in illis experiri libertatem arbitrii, et subdit quod, sicut mali Angeli per suum arbitrium ceciderunt, ita boni per suum arbitrium steterunt; ergo

non ex prædeterminatione gratiæ steterunt, alias nihil in eo discrimine libertas arbitrii ostenderetur, nec esset differentia inter homines et Angelos, quam ibi Augustinus ostendere vult. Scio in nostra sententia etiam esse difficile illam differentiam, quam difficultatem in superioribus tractavimus, et infra iterum, tractando de dono perseverantiæ, evolvenda est; nunc nobis sufficit quod, si Angelis bonis fuit necessaria prædeterminatio, sicut nobis esse dicitur, non potest subsistere quod Augustinus ait, in Angelis et primo homine voluisse Deum experiri libertatem magis quam nunc in hominibus lapsis experiat. Quod si locus hic cogere alicui non videatur, profecto superiora videntur satis superque sufficere: multa enim, ut existimo, convincunt posuisse Augustinum auxilium efficax præveniens in vocatione congrua non prædeterminante, sed modo accommodato inducente hominem infallibiliter ex præscientia Dei. Et omnia simul sumpta hanc fuisse mentem Augustini satis ostendunt, fietque id evidentius expendendo loca Augustini, in quibus contrariæ sententiæ auctores opinionem suam fundare conantur.

CAPUT XLIII.

UTRUM AUGUSTINUS PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONI ALIQUANDO FAVEAT.

1. *Respondetur.* — *Probatur responsio.* — Respondemus nullum inveniri apud Augustinum testimonium in quo id doceat, vel ex quo satis probabili conjectura talis mens Augustini colligi possit. Hanc assertionem probamus discurrendo per omnes modos loquendi Augustini, quos vel ab aliis nobis objectos invenimus, vel nos notare et inducere potuimus; non enim semel, sed sæpius, totam Augustini doctrinam, præsertim ad hanc materiam pertinentem, evolvimus, non quidem ex præjudicio, et animo defendendi propriam sententiam, sed omnino inveniendi mentem ejus, nihilque occultandi, quod ad illam indagandam conducere posse videatur.

2. *Obiectio ex errore Pelagii.* — *Argumentatur Alvarez.* — *Solvitur dicta obiectio ex Augustino.* — Primam objectionem sumunt ex errore Pelagii, contra quem Augustinus disputavit, supponuntque Pelagium non errasse in gratia excitante, sed in adjuvante, qua Deus efficaciter prævenit voluntatem; et efficit ut libere consentiat. Nam omnem gratiam excitantem, quam D. Augustinus ponit, dicunt

admisisse Pelagium, negasse autem prævenientem physice efficacem, et contra hoc aiunt direxisse Augustinum totam disputationem suam, unde concludunt, in contrario sensu docuisse necessarium esse auxilium de se efficax, ac subinde prædeterminans. Ita argumentatur Alvarez, disp. 99, num. 2, et suppositivam illam probat ex Augustino, epist. 107 ad Vitalem, refertque verba ubi dicit: *Inter eos agi de Gratia quæstionem, utrum præcedat vel subsequatur hæc gratia hominis voluntatem, hoc est, utrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam hoc etiam efficiat Deus ut velimus.* Secundo, adducit Augustinum, lib. de Grat. Christi, cap. 10, qui refert sententiam Pelagii fuisse, *non adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam*, et verba Pauli: *Deus est qui operatur in nobis velle*, exposuisse de operatione per illuminationem, et excitationem stupentis voluntatis; et cap. 47, nihil aliud Augustinus a Pelagio exigit, nisi ut Dei adjutorium admittat. Alias conjecturas adducit ille auctor, quas omitto, quia parvi momenti mihi videntur, et quia superfluum est indicis uti, ubi factum fide dignis testimoniis comprobatur. Respondemus ergo primo objectionem hanc falsum supponere. Nam Augustinus, lib. 1 contra duas epist. Pelagianor., cap. 19, ad illos sic loquitur: *Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem Dei gratia, ut, in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari.* In quibus verbis aperte refert Augustinus Pelagianos absolute negasse excitantem gratiam, seu excitationem voluntatis per gratiam, cum tamen adjuvantem aliquo modo saltem nomine admitterent. Unde excitantem et re et nomine negasse videntur, quia licet doctrinam, legem, et promissiones, quæ excitant voluntatem, sub nomine gratiæ admitterent, in illis solis gratiæ adjutorium ponebant, ut in proleg. 5, cap. 2 et 3, ex variis locis Augustini ostensum est. Secundo, dicimus objectionem factam etiam in illatione peccare: nam licet Pelagius admitteret auxilium sufficiens per veras internas excitationes, et negasset efficax, et in hoc secundo ab Augustino impugnetur, non sequitur Augustinum pugnasse pro auxilio prædeterminante, sed pro vocatione congrua et efficaci, ut in omnibus suis libris declaravit, sicut jam vidimus. Et præterea, quod caput est, maxime erravit Pelagius negando adjutorium gratiæ concomitans et physice adjuvans voluntatem, et in hoc sensu dixit, *non adjutorio Dei, sed ex nobis effici voluntatem bonam.*